

philosophemata non rejicit statim omnia, nec rationem methodumq; philosophandi universam mutat, si maximè subinde quæpiam aut demonstrationum ἀνάγκη, aut experimentorum evidentia corrigere jusserit; nec immoderatè & impudenter reluctando novæ cuiq; veritati, antiquam omnem illius inventoribus reddit exosissimam: sed admittendo quæ vera sunt, etsi recentissima, id consequitur, ut excludi sua reliqua, & antiqua servari quàm plurima tantò ferat moderatiùs novaturiens adversarius: præsertim cùm istorum quoque exclusio (nisi quid impietatis aut indecori foverint) secundùm Electivæ Philosophiæ leges, modestè fiat, & absq; stomacho. Nunquid igitur hanc solam ad evitandas animorum collisiones, publicæq; tranquillitati sartæ tectæque conservandæ, aptam natamq; esse videmus & accomodatissimam?

VII. Verbo: Cùm rectissimè Aristoteles Lib. III. Eth. Nicom. cap. II. pueris & brutis animantibus τὸ ἐκείνον quidem ἐπιθυμίαν ac θυμὸν attribuat, παρὰίρεσιν autem neget, quia, (quam rationem addit *Andron. Rhodius* in Comment.) ἡ παρὰίρεσις μόνοις τοῖς κρῖνειν δυναμένοις καὶ βεβλέυεσθαι εἰδῶσι παρέστι; non possumus non iterum iterumq; concludere: Eam solam esse philosophandi rationem præstantissimam & homine dignissimam, quæ secluso omni sive amoris sive odii affectu, neq; cupiditiùs arripit aut tenaciùs asservat omnia à Magistris oblata, nec iracundiùs invehitur in aliorum istis contradictentium asserta, sed, cùm neutros aut ignota invenisse, aut vera dixisse omnia, aut ubiq; errasse, rationi sit consentaneum, cum judicio ac deliberabunda eligit quod ubiq; reperit optimum & verissimum.

